





1795, 2
 FACULTATIS IVRIDICAE
 DECANVS

CHRIST. FRIDER. IMMAN. SCHORCH

ICTVS

MEMORATAE FACULTATIS ASSESSOR SENIOR ET DECRETALIVM
 PROFESSOR PVBL. ORDINAR.

SOLEMNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI AC CLARISSIMI IVRIVM
 CANDIDATI

DN. CAROLI LVDOVICI KOPP

MOGONI

DIE XXVII. AVGVSTI

PERAGENDA INDICIT.

IN EST

IVRIVM DONATIONIS PROPTER NVPTIAS
 ROMANAE HISTORICE DELINEATORVM
 PARTICVLA II^{da},

ERFORDIAE

Typ. IO. CHRIST. GOERLING, ACAD. TYPOGR.

EACHTATIS IVRIDIOAE
D. G. A. V. S.
CHRIST. FRIDR. BRUNN. SOHNDII

SOLEMNIA INAVGVRAALIA

HOHNHEIM AN DER ODER
FESTIVITÄT
D. 17. JULII 1771
P. 1771

IN AVGVRAALIA
HONORIS HISTORICAE
P. 1771

IN AVGVRAALIA
P. 1771





Quod officii ratione iam conscribendum est programma, opportunam occasionem praebet ea persequi, quae de donatione propter Nuptias antea, nempe in programme dissertationi Consult. Dni AVSTER, cui titulus: generalia de citatione Reorum in terris Saxon. praemisso, inchoavi.

§. VI.

Alterum itaque, quod in legibus de ea observamus, pertinet *ad tempus constitutionis*, ad eius *augmentum et deminutionem*. Principio illa constante matrimonio neque fieri neque augeri poterat, sed praecise nuptias praecedere debebat. Omnis enim liberalitas inter virum et vxorem iure romano erat inualida, idque *moribus* receptum fuit teste VLPIANO ¹⁾, eiusque iuris ratio ex antiquo Connubiorum statu legibus regiis introducto repetenda est, quo vxores in manum mariti conueniebant. Sicuti ergo inter patrem et liberos in potestate existentes ob personarum unitatem donatio celebrari non poterat: ita nec inter maritum et matremfamilias propter eandem rationem. Varias alias rationes huius prohibitionis, quae in legibus adsignantur ²⁾, ad originem huius iuris non pertingere, dudum observa-

tum est ³⁾. Interim vigente hoc iure non poterat licere marito donationem propter nuptias vxori suae facere post matrimonium iam consummatum, nec saluo hoc iure augendi donationem propter nuptias rite alias et consueto modo ante matrimonium constitutam potestas competere poterat.

Verum sicuti in simplicibus donationibus iam successu temporis veteris iuris rigor temperatus quodammodo fuit, et munificentis coniugum mutuis plus indultum est paulatim; id quod ex lectione titulorum π . et Cod. *de donat. inter vir. et Vxor.* satis constat: ita et in nostra donatione propter nuptias sensim aliud inductum esse quid mirum est? praesertim cum haec mutatio iuris veteris inde valde iuuaretur, quod haec donatio non simplex sit et mera, sed quasi remuneratoria et pro dotis compensatione facta? Hinc itaque IVSTINVS ⁴⁾ primus permisit, vt non solum aucta constante matrimonio dote etiam donatio ante nuptias *augeri*, et *tanto additamento maior fieri posset, quanto dotis augebatur titulus*; sed et hanc donationem, si ab initio celebrata plane non fuerit, de nouo facere concessit, ita *vt muliere dotem augente liceat marito quoque donationem in uxorem suam eiusdem quantitatis facere, quantum aucta dos continere dignoscitur*. Sic itaque ex constitutione hac Iustini occasione dotis constante matrimonio auctae donatio p. nupt. etiam de nouo fieri poterat, ita tamen vt dotis auctae quantitatem non superaret. Sed IVSTINIANVS ⁵⁾ vltius progres-

5

gressus simpliciter eam constante matrimonio conficere permisit, etsi dos non augeatur, hoc solummodo seruato, vt dotis quantitas non excedatur, et vt maritus, in casu, quo constante matrimonio prorsus de nouo fit, expresse declaret, quod propter dotem ab vxore sibi allatam ad donandum venerit ipse. Non vero hic substitit Imperator. Cum enim his, quae modo citauimus, legibus, mariti libertati relictum esset, hanc donationem etiam constante matrimonio cum effectu celebrare, Imperator postea hoc, quantum ad donationis huius *augmentum* pertinet, ad necessitatem retraxit, et muliere volente dotis augmentum facere, etiam marito vt idem faciat intuitu donationis p. nuptias iniunxit, seruata vtrinque quoad quantitatem aequalitate ^o) cuius rationem dispositionis superius iam (§. V.) adferre et illustrare occupari.

Quantum denique pertinet ad *deminutionem* donationis nostrae, sicuti deminuere tam dotem quam donationem p. nupt. in pactis dotalibus ab initio conscriptam semper utroque coniuge consentiente licuisse credibile est: ita in specie IUSTINVS *) expresse hanc potestatem coniugibus dedit, vt si ad deminuendam dotem et a. nupt. donationem consenserint, licere eis debeat vtramque proportionate deminuere, modo deminutio non vergat in fraudem liberorum prioris matrimonii.

- 1) in l. 1. *¶*. de Donat. inter Vir. et Vxor eodem scilicet sensu, quo patria potestas moribus tribuitur. conf. BOEHMER I. Eccles. Protest. L. 4. tit. 20. §. 53.
- 2) veluti: ne mutuato amore inuicem spoliarentur coniuges, in l. 1. *¶*. de donat. inter vir. et ux. vt esset potius coniugibus liberos educandi studium, in l. 2. *¶*. eod. tit. quod saepe alias futurum esset, vt discuterentur matrimonia; si non donaret is, qui posset, atque ita euenturum, vt venalitia sint matrimonia, in l. 2. *¶*. eod. ne melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret, in l. 3. *¶*. eod. *Melior* vero hic non est ditior, neque *deterior* est inops, vt male Graeci verterunt. Sed per deteriorem intelligitur *deterior moribus*, qui lucrum captat, et amorem coniugalem debitum ab altero numis redimendum cupit, vt ditior fiat, et per *melioem*, qui alterius auaritia astuta circumscribitur, eoque ipse pauperior fit. Iustinianus Imp. ipse propter libidines prohibitas fuisse has donationes adserit, ne inter coniuges ipsos matrimonia tanquam supra venum dentur, in l. 20. C. de Donat. a. nupt.
- 3) vid. HEINECC. Elem. j. Ciu. sec. Ord. Institut. §. 458.* et. in Antiquitat. Rom. L. 11. tit. 7. §. 18. not. 1.
- 4) in l. 19. C. de Donat. a. Nupt.
- 5) l. 20. C. de Donat. a. nupt. Nouell. XXII. cap. 31.
- 6) Nouell. XCVII. cap. 2.
- 7) in l. 19. C. de Donat. a. nupt. adde Nouell. XXII. cap. 31.
§. VII.

§. VII.

TERTIVM quod nobis occurrit memorabile circa donationem nostram est eius *insinuatio*, cuius historiam breviter repraesentabimus. Insinuandi donationes apud acta necessitatem, quae Digestorum iure ignorabatur, primus introduxit vel *Constantius Chlorus*, vel, quod certius probabiliusque videtur, huius Imp. filius CONSTANTINVS M. ¹⁾. Idem Imperator non multo post sponsalicias donationes in specie huic necessitati subiecit, ita vt eas, quae ante nuptias insinuatae non fuerunt, reuocari post solutum matrimonium a donatore tanquam inutiles et inualidas posse declarauerit ²⁾. Ipse vero deinde excepit iterum donationem sponsaliciam factam sponsae, quae nuptiarum tempore in minore aetate constituta est, quam etiam sine insinuatione et actorum testificatione omissa valere voluit ³⁾. Postea THEODOSIVS *jun.* in ea quoque donatione ante nupt. quae in omnibus *intra ducentorum solidorum quantitate* est, actorum solemnitatem remisit ⁴⁾. Atque has duas exceptiones repetiit IVSTINIANVS ⁵⁾, simulque de nouo hoc indulsit, vt insinuatio, in iis casibus vbi necessaria est, etiam constante matrimonio fieri posset, cum antea praecise ante nuptias eam interuenire oportuit ⁶⁾. Porro idem Imperator omnem donationem siue communem, siue ante nuptias factam *vsque ad trecentos solidos* cumulata non indigere monumentis sanxit ⁷⁾. quid? quod mox summam hanc ampliando omnem donationem *vsque ad quingentos solidos* sine insinuatione stare permiserit ⁸⁾. Cum
que

que per hoc communem formam accepissent, quantum ad insinuationem, donationes simplices, et quae p. nuptias fiunt, et tamen haec posterior praerogatiuam mereri videretur, rursus constituit hic Imperator, vt donatio p. nuptias, cuiuscunque quantitatis sit, semper sine insinuatione vim habere debeat ⁹⁾, in quo tamen paulo post se correxit ipse, interserens causam, quod mulieribus ipsis necessaria sit insinuatio, quo, si principalia instrumenta perirent, per monumenta et Acta probatio matrimonii peragi posset, idque ipsis rerum experimentis vtile cognitum fuisse testatus est. Reducto itaque veteri iure cauit, vt donatio p. nupt. si 500 solidorum quantitatem transcendat, actis consignetur. Vt ne vero eo ipso mulierum causa detrimenti quid caperet, et mariti ad insinuationem validius adigerentur, simul cauit, vt insinuatione etiam neglecta donatio tamen, quantum ad mulierem, valere debeat, vir vero ob omissam solennitatem lucro, quod ex dote ei obuenit, excidat ¹⁰⁾. Post hanc constitutionem facile est ad intelligendum leges superiores, quibus per modum exceptionis feminis in minori aetate constitutis consulebatur, vsum amississe. Nunc enim nullo obseruato aetatis discrimine omnibus pariter mulieribus succurrebatur contra neglectam a maritis insinuationem. Haec sunt, quae de donationis nostrae fatis, quoad insinuationem, obseruare ex legibus licuit.

1) l. i. C. Theodos. de sponsal. et a. nupt. donat. in qua lege Constantinus M. *patri suo* huius iuris introductionem tribuit.

- At in l. 25. et 27. C. de Donat. sibi ipsi hoc adscribit. CON-
STANS quoque filius eius idem in l. 6. C. Theodos. de donat.
diserte accepto fert *venerabili parenti suo* id est: Constantino M.
2) vide l. 1. C. Theodos. de sponsal. add. Nouell. CXXVII. cap. 2.
c. fin. l. 20. pr. C. de Donat. a. nupt.
3) l. 3. C. Theodos. tit. eod. adde l. 8. C. Theod. in f. eod. et
l. 17. C. Iustin. de donat. a. nupt.
4) cit. l. 8. C. Theodos. de sponsal.
5) in l. 31. §. 1. C. de iure dot.
6) l. vlt. §. 1. C. de Donat. a. nupt.
7) in l. 34. C. de Donat.
8) in l. pen. §. vlt. C. de Donat. et §. 2. l. de donat.
9) Nouell. CXIX. cap. 1.
10) Nouell. CXXVII. cap. 2.

Sed commendandus nunc est a studiis pariter ac vita
adhuc laudatissime instituta

CANDIDATVS DOCTISSIMVS
DN. CAROLVS LVDOVICVS KOPP
MOGONVS

qui de suis natalibus studiorumque ratione sequentia nobis
retulit:

B

Ego

Ego Carolus Ludouicus Kopp diem natalem habui Moguntiae d. 1. Febr. 1773. patre Adolpho Balthasaro Kopp camerae electoralis, quae moguntiae est, consiliario aulico, matre Charlotta nata de Schneen iam pie defuncta. Primis fidei morum et eruditionis per domesticam institutionem iactis fundamentis, gymnasium electorale per quadriennium frequentavi; altiora deinde appetens studia et albo studiosorum in alma uniuersitate moguntina insertus per triennium artium liberalium philosophiae et physices studio me dedi, eoque absoluto iurisprudentiae studium et operam meam consecraui. Ius naturae a Rosmanno traditum accepi. Ad Institutiones digesta et ius criminale Waldmanni praelectiones frequentavi, digestorum, et Iuris publici cognitionem ex ore Hartlebeni hausi. In Iure canonico Krikium, in Iure feudali, artis diplomáticas, et praxeos archivalis cognitione Bodmannum doctores habui. — Triennio peracto Goettingam me contuli, ubi ius ciuile, canonicum, feudale ex ore Boehmeri; historiam et ius publicum imperii et ius priuatum principum ex ore Pütteri tradita accepi; cuius etiam praelectiones practicas secundum triplicem eius diuisionem, nec non practicum processuale et relatorium Claprothii frequentavi, ius germanicum Runde, Pandectas et controuersias iuris Waldeccius, Pandectas

dectas systematice dispositas et ius criminale Meisterus, Processum supremorum imperii tribunalium de Berg me docuerunt. Scientiarum politico cameralium cumulum, Encyclopaediam historicam, Diplomaticen statisticam, et historiam statuum Europaearum in praelectionibus Beccmanni, Gattereri, Schlötzeri et Spilleri pertractavi. Sic amplissimo omnis Iuris campo per quinquennium et quod excurrit feliciter emenso meme Erfordiam contuli ibique inclytæ facultati iuridicæ desiderium meum supremos in utroque iure honores capessendi explicavi, atque ut ad consueta specimina inauguralia admitterer modeste petii.

Desiderii sui laudabilis compos factus textus ex utroque iure praescriptos non solum dextre resoluit, sed et in ipso examine riguroso ita stetit, ut unanimibus suffragiis ad reliqua specimina admissus fuerit. Quapropter proximo die XXVII. Augusti Lectionem cursoriam ad cap. 19. X. de Decimis publice habebit, eaque finita dissertationem suam

De eo quod iustum est circa mutationem religionis in Imperio

defendet, quibus peractis laurea doctorali condecorabitur.

Quos


Quos actus solennes vt Vniuersitatis proceres ac Ciues
praesentia sua ornare haud grauentur, officiose oro rogo-
que. Public. sub sigillo facultatis iuridicae d. XXIII. Au-
gusti MDCCXCV.



Erfurt, Diss., 1783-1801 I

X 2386945





1795, 2
FACULTATIS IURIDICAE
DECANVS

CHRIST. FRIDER. IMMAN. SCHORCH

ICTVS

MEMORATAE FACULTATIS ASSESSOR SENIOR ET DECRETALIVM
PROFESSOR PVBL. ORDINAR.

SOLEMNIA INAUGVRALIA

NOBILISSIMI AC CLARISSIMI IVRIVM
CANDIDATI

DN. CAROLI LVDOVICI KOPP

MOGONI

DIE XXVII. AVGVSTI

PERAGENDA INDICIT.

IN EST

IVRIVM DONATIONIS PROPTER NVPTIAS
ROMANAE HISTORICE DELINEATORVM
PARTICVLA II^{da}.

ERFORDIAE

Typ. IO. CHRIST. GOERLING, ACAD. TYPOGR.

18

